



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 21. Circa Irregularitatem procedentem ex libertatis defectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

gnationem, aut indifferetio zelo abscindit, vel abscindi permittit, irregularis est. *c. Qui partem, dist. 55.* Quia in ea irregularitate indicenda non consideratur tam effectus ex abscissione relictus, quam voluntas quae sibi causa est ferum iniicere. Quaesierim autem, an necessario debeat nota esse tam culpa, quam partis abscissio.

226
Debet esse nota. Necessario debet esse nota. Quia ex notorietate oritur indecentia contracta ad Ordines suscipiendos. Cum alia sint graviora admodum crimina, quae secreta dum sint Ordinum susceptione non impediunt. Sic Valent. 20. d. 7. q. 19. p. 2. Auila p. 7. d. 3. de irregul. dub. 1. Couar. Clement. si furiosus, nu. 6. Henric. 1. 14. c. 8. n. 4. Navar. sum. c. 17. n. 198. & alij plures à Sayro relati l. 6. thes. c. 7. n. 13.

227
Necessario non debet esse nota. Necessario esse nota non debet. Quia haec irregularitas non tam nititur notorietati cul-
pa, quā excessui, & saevitia, quam quis secum exercuit. Ita Sayr. ubi sup. nu. 12. Garcia de benef. p. 7. c. 12. n. 5. Molina tr. 3. d. 7. o. n. 16. & d. 67. num. 8.

228
Hoc probabilius esse reor. Hanc sententiam spectata Ecclesiae intentione probabilior esse defendo. Nam in ipso c. Qui partem aperte irregularitatis huius ratio annexitur: nempe saevitia, quae Ministrum tam pacifici Mysterij maxime dedecet.

DUBIUM XLIII.

Ex eo quod quis culpabilem causam dederit, ut sibi virilia, vel aliquod aliud membrum amputetur à Iudice, vel à marito ob commissum adulterium: exiitne irregularis?

229
Irregularis exiit. Irregularis exiit. Quia irregularis est qui sibi virilia abscindi facit sed idem est dare causam culpabilem abscissioni: est irregularis. Sic Vgolin. de irregul. c. 18. n. 4. Suar. d. 5. l. 1. c. 2. n. 8. Bonac. d. 7. q. 2. p. 2. n. 3. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 7. sine, Bonac. 10. d. 7. q. 1. p. 2. n. 33. Molina tr. 3. d. 7. o. n. 18. Auila p. 7. de irreg. d. 3. dub. 1.

230
Non exiit irregularis. Non exiit irregularis. Quia id nullo textu probatur: & irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis. Ita Tolet. l. 1. c. 82. Garcia de benef. p. 7. c. 12. à n. 7. Coninch. d. 18. dub. 13. n. 108. Hortad. de irregul. difficul. 14. n. 52. Et alij apud Garciam.

231
Hanc sententiam probabilior mihi eligo. Valde probabilem primam sententiam tot Doctoribus roboratam esse reor, sed eligo ut probabilior secundam. Nam omnes textus hanc irregularitatem indicentes expresse loquuntur de eo, qui sibi ex indignatione, vel zelo indifferetio castitatis membrum amputaverit per se, vel per alium: nullus autem textus loquitur de eo, qui amputationi causam dedit. Ergo non est huiusmodi irregularitas indicenda.

DUBIUM XLIV.

Irregularisne est qui testiculos sibi abscindi facit causa vocis retinenda?

232
Irregularis est. Est irregularis. Quia si textus irregulares esse indicunt, qui sibi virilia abscindi fe-

cerit: aperte indicant, idem iudicium agendum esse de eo, qui causa retinenda vocis facit sibi abscindi testiculos. Sic multi Doctores. Palao de cens. d. 6. p. 12. n. 4. indicat hanc sententiam probabilior communitur esse, dū ait improbabilem non esse contrariam.

Irregularis non est. Quia id non facit ex indignatione, vel ex iusto, aut iniusto castitatis amittendae timore, prout requiritur in c. Ma. ritum. c. Qui partem. c. Si quis absciderit. & aliis, quae referri possunt. Ita Palao cit. atq.

Hunc sequor, cum videam, nullum textum hanc irregularitatem praescribentem loqui de eo, qui sibi testiculos attriuit & elisit, aut comprii fecit: sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit, quod diuersum proculdubio est. Illud est certum, imbecillitatem virilis membri, aut eius carentiam absque propria culpa contingentem, ut si na- us faisti absque pudenda, aut per vim à parentibus castratus, aut consilio Medici vel Chirurgi ad valerudinem, aut ab inimicis in odium fidei: irregularem minime esse. Porro circa dispensationem huius irregularitatis ex mutilatione voluntaria, si facta sit abscissio integri membri, & occulta, poterit Episcopus dispensare. Trident. sess. 4. c. 6. Et idem existimo, si abscissio calu contineret ex propria culpa, dummodo culpa occulta sit, tamen si abscissio sit notoria. Auila mecum p. 7. d. 3. dub. 3. concl. 2.

CAPVT XXI.

Circa Irregularitatem procedentem ex libertatis defectu.

DUBIUM XLV.

Obligatio reddendi pro seruo alieno ordinato duplicatum primum, adestne ante Iudicis sententiam?

Certum est carentiam libertatis, dum adest, irregularem constituere. Ac seruum sciens, & non contradicente domino, ordinatum liberum esse. Porro si domino ignorante, Ordinibus initiatur, gravem culpam committit, & manet servus si solum minoribus initiatus sit. At si maioribus, domino ignorante, & a fortiori sciente, & contradicente, Episcopus ordinans consensu malitiae, aut illo ignaro qui testimoniam perhibent, aut supplicauerint ordinari, obligantur domino satisfacere duplicatum hoc est, duplicem seruum loco serui ordinati reddendo, vel duplicatum pretium illius, quod aestimatur. Quaesierim autem, an haec obligatio adest ante Iudicis sententiam?

Adest quidem. Quia haec est lex dispositiva, ut obligetur dominus seruum sic Ordinatum dimittere. Sic Suarios d. putat. si. se. dem. Etion. 3.

Non adest obligatio ante sententiam. Quia opus non erat duplicatum satisfactionem Non adest Episcopo

Secl. II. De Irregularitate Dubia, 351

Episcopo ordinanti, aut ordinationis mediatoribus indicere, ut dominus eorum ordinatum dimitteret. Satis enim erat, si integram satisfactionem iure naturae debitam praestare obligarentur. Ergo illa duplicatio in poenam delicti commissi statuitur, ac proinde Iudicis sententiam saltem declaratoriam delicti exigit. Ita Bonacin. tom. 1. d. 7. q. 2. punct. 4. num. 3.

²³⁸ *Hoc rectius excogitatum esse iudico.* At si hanc duplicem satisfactionem illi non exhibuerit, non liberatur servus neque dominus tenetur illum dimittere. *Cap. Si servus absente domino. dist. 54. & ibi Glos. Abbas ad cap. 2. de servis ordinandi.* Porro si Episcopus ordinans & alij omnes ignari fuerint servitutis, tenetur ipse servus hanc duplicem recompensationem facere, vel saltem reddere vicarium pro se aequalem. *Cap. Ex antiquis. dist. 54.* Quam satisfactionem si praestare non possit, & ordinatus sit subdiaconatu tantum, redigitur in servitutem, ut domino obsequatur in omnibus ministeriis, quae Ordinem illum non deceant. *Argum. Cap. Ex antiquis.* Verum si in Presbyterum ordinatus, domino ignorante, vel contradicente fuerit non reducitur in servitutem, etiam si domino integra satisfactio fieri non possit: sed peculium amittit, & domino reddit. *Cap. Ex antiquis.* Si autem peculio careat, obligatur satisfacere in ministeriis sui Officii. *Cap. Frequent.*

DUBIUM XLVI.

Si quis administrationem, quam habet, deponat tamen si rationem illius non reddiderit: potestne ad Ordines ascendere?


²³⁹ *Nonnulla suspensa.* Alter defectus libertatis irregularem constituit est obligatio reddendi rationem alicuius administrationis à Republica acceptae, qualem habent thesaurarii, depositarii, procuratores, actores, executores, advocati, magistratui, Iudices rerum temporarium; dum enim illa omnia exercent ab Ordinibus repelluntur tum in honorem Clericalis status, quem dedecet harum rerum administratio tum ne Ecclesia dolo favere praesumatur quod committere praesumuntur, qui durante hac administratione Ordines suscipiunt: quippe credantur, non divini obsequij affectu, sed fugiendi ratiocinia causa Ordinibus initiari. *Cap. uni. de obligatis ad ratiocinia.* Et cap. 2. & 3. dist. 51. Porro haec irregularitas extenditur ad eos, qui alicuius personae privatae non miserabilis administrationi obligati sunt, ut tutores, procuratores pupillorum, &c. Iam requiro, num si hi administrationem deponant, tamen si rationem illius non reddiderint, (quam omnes debent ex vi officij huiusmodi dare) ad Ordines possint ascendere?

²⁴⁰ *Ascendere possunt.* Quia *Cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi, & cap. 1. § 2. & 21. q. 1.* Superdicti arcentur ab Ordinibus officio finito: nec circa rationem prius reddendam aliquid adducitur. Sic Glos. & Panormit ad *Cap.*

uni. de obligatis ad ratiocinia. Tolet. libr. 1. cap. 60.

Non possunt ascendere. Quia in praefato ²⁴¹ *Cap. uni.* utrumque est requisitum, & quod ab administratione abstineant, & quod illius rationem reddiderint. Ita Suar. d. 51. sect. 3. n. 11. Sayr. l. 6. c. 14. n. 8. Bonac. to. 1. d. 7. q. 2. punct. 4. numer. 4. Hurtad. de irregular. difficultat. 18. Layman. lib. 1. tractat. 5. part. quint. cap. 8. num. 3.

Longè probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Nam praecipue ob obligationem reddendi administrationis rationem ab Ordinibus repelluntur. Hoc autem est certum, (in quo etiam primae sententiae Auctores conveniunt) si finita administratione, tibi lis excitetur de dolo, haud posse finitam litem ad Ordines promoveri. *Argum. Cap. Tantis, dist. 51. & ibi Glos. v. Obrepit, & Archidiaconus.* De hoc vero taxati tempus tanquod quaestio decidatur, & interim si te Episcopus promoverit, ipse tenetur in tui defectu satisfacere. At elapso tempore designato, & actore nihil probante, ordinibus poteris initiari. Sayr. l. 6. thesaur. cap. 14. numer. 8. ex communi.



CAPVT XXII.

Circa irregularitatem ortam ex homicidio, vel mutilatione publica autoritate facta.

DUBIUM XLVII.

Vi accusantes in causa propria, adhibita protestatione se poenam sanguinis non intendere, excusentur ab Irregularitate: debentne necessario, eiusmodi protestationem ex animo facere?

²⁴³ *Nonnulla recole.* Certum est, accusatorem, seu denunciato-rem, si ex vi suae accusationis, vel denunciationis quis moriatur, irregularem esse. *Cap. Sententiam, & cap. Clerici, Ne Clerici, vel Monachi.* Debet autem mors seu mutilatio ex accusatione, seu denunciatione consequi: nam si aliunde obueniat, accusanti, vel denuncianti imputanda non est. Verum quia saepe contingit, tam Clericos, quam laicos iniuriam pati, qui si accusationem instituere irregularitatis timore non possent iniuriatores audaciores fierent: ius providit, quoniam modo abque irregularitatis periculo possent contra sic delinquentes insurgere, & illos accusare, etiam in casu, quo sibi constet, esse capite damnandos. Quod fit *Cap. 2. de homicidio, in 6.* Vbi accusantes, vel denunciantes in causa propria excusantur ab irregularitate, si ex-